

† Pl. R. P. Eugenius von Meurers (1889-1945)

(Prov. Germ. Inf.)

† Pl. R. P. Eugenius von Meurers (1889-1945)

(Prov. Germ. Inf.)



Patriciae familiae, tum ex parte patris tum ex parte matris, ortum dedere huic Superiori Provinciae G. I., qui inter victimas maxime lugendas ultimi magni belli numeratur. Pater erat Aquisgrani agrimensor, mater, item Aquisgranensis, erat ex nobili familia Marbaise². Ex huius christiani connubii quinque fructibus duo filii sacerdotes facti sunt, una filia religiosa, altera ludimagistra, tertia organoeda nostrae ecclesiae.

Eugenius natus est 25.4.1889, et ideo vicinum nostrum iuvenatum Vaalsensem intravit, quia in gymnasio patrio, sic volente genitore, durissime tractabatur; sed Deus hac circumstantia exteriore usus est

ad genuinam vocationis redemptoristicae gratiam puero elargiendam. In hac nostra familia Eugenius usque ad a. 1914 vitam degit iucundam.

¹ *Analecta*, XX (1948), 200.

² Cum quondam Romae Patri v. M. monstraremus aedes Braschi et stemma Pii VI, eiusdem familiae nobilis, hic historicus nobis dixit suam familiam cum familia Braschi coniunctam esse; utrum consanguinitate an affinitate, nescimus.

Dira belli conflagratio iam exarserat, cum festo S. Martyris Laurentii 1914 una cum suis coaetaneis quasi tumultuarie sacerdos Altissimi ordinatus est. Ut talis effugit quidem armorum servitium, sed mox factus est miles sanitarius, quamquam non diu. Absolvit igitur tempore belli sua studia, secundum quoque novitiatum, et prima apostolatus gaudia gustavit pri-masque difficultates in hoc campo expertus est.

Finito bello, medio a. 1919, mittitur in Silesiam ibique mox ante-riorem timiditatem plane abiicit, viso singulari successu sui primi cursus exercitiorum, ad quem parandum a P. Superiore Rösler ei vix octo dies concessi fuerant. Revera P. v. M. possidebat miram facundiam, immo verae eloquentiae dona praeclara, vastam quoque culturam, et brevi Wra-tislaviae evasit orator sacer undique quaesitus.

Cum vivo suo suorumque auditorum dolore post paucos annos ex oriente patriae ad occidentem revocatur, ut Bochumii sodalitatem viro-rum a S. Familia moderetur et missiones praedicet. In hoc quoque campo egregie proficit, sed a. 1928 denuo ad orientem mittitur, hac vice Beroli-num, ut una cum R. P. Erwino Görlich sit vicarius cooperator in pareocia S. Elisabeth; hac enim via sperabatur nobis fundatio in Germaniae capite, quae spes revera a. 1931 evasit factum completum.

Vita Patris v. M. est plena repentinis mutationibus. Studentatus Geistingen post praematurum obitum P. Iosephi Plum (15-9-1932) indi-gebat Lectore historiae ecclesiasticae, nec quisquam Patre v. M. magis idoneus reperiebatur; in hac enim disciplina, multo magis quam in specu-lativis aut mathematica, semper condiscipulorum admirationem excitarat. Sed novus Lector non fidebat suae scientiae iam acquisitae; incumbebat iuvenili ardore novis studiis; omnem paelectionem totam scribebat; fre-quentabat insuper diebus liberis vicinam Universitatem Bonnensem, serio cogitans de laurea etiamtum acquirenda; putabat quippe se per reliquam vitam fore Lectorem historiae ecclesiasticae.

En nova repentina mutatio. Ianuario 1935 coepit illa magna tribu-latio Provinciae G. I. per processus « divisarum », qui vocantur, a Gu-bernjo nazista Ecclesiae inimicissimo contra, multa Instituta religiosa diabolica arte instructos. Complures sodales nostri tunc libertate privati sunt, alii fuga salutem quaesiere. P. v. M. Februario Romam venit ad Curiam Generalitiam viva voce de his luctuosis rebus edocendam. Probe meminimus, quantopere hic homo, historiae universalis, ecclesiasticae, liuguorianae singulariter gnarus, memorias historicas Aliae Urbis, Paga-norum, Iuranorum, Scalae... tunc gustaverit. In patriam reversus, praeter lectoratum, etiam officium Ministri magni collegii Geistingen in se susci-pere debuit et saepissime Rectoris absentis vices gerere.

In Analectis a. 1936, p. 93, legitur sub d. 30 Martii: « Superior Provinciae G. I. Pl.R.P. Eugenius von Meurers ». Deus bene fecit, quod mortalibus futura abscondit. Si P. v. M. tunc clare vidisset, quae et quanta ei revera preferenda erant, fortasse animo concidisset. Sub quodam quidem respectu Provincia erat in florido statu, habens Bonnae 193 iuvenistas, Luxemburgi 15 novitos choristas, Geistingiae 6 novitos conversos et 78 clericos studentes; at semper magis apparebant nazismi consilia exitialia. Iam festo S. Clementis 1936 iuvenatus pro vocationibus tardioribus et domus exercitiorum *Vaals* clausa erant, cum Germani ob duplarem illum finem eo se conferre prohiberentur. Peculiaris tamen iuvenatus pro Magno Ducatu Luxemburgensi autumno illius anni in *Diekirch* apertus est, pro dolor! brevis tantum durationis; dum fundatio *Rheine*, ab Episcopo Monasteriensi von Galen benigne concessa et ineunte a. 1937 incepta, adhuc est magnificum centrum missionale, licet absque ecclesia publica.

Reversus a Capitulo gen. 1936 in patriam, novus Provincialis debuit ante omnia colligere pecunias ad ingentem multam vi istorum processuum solvendam. Tunc igitur in Provinciam introduxit illud regimen summae parsimoniae, quod plus minusve adhuc viget. Multas etiam curas Provinciali creavit mutatio regiminis studentatus a Capitulo stabilita. A. 1937 partem studentium (18) Augustam Trevirorum misit, ut ibi in Seminario praelectiones audirent et sic beneficiis Concordati fruerentur. Residéttiam suam a. 1938 Bonna Coloniam transtulit, ad suburbium *Ehrenfeld*, ad viam Geissel. Quo die ibi argenteum suaे ordinationis iubilaeum (10.8.1939) celebrabat, sed sine sollemnitate, nova conflagratio bellica iam ab omnibus timebatur, quae revera kalendis Septembribus evenit, immensam curarum molem Provinciali allatura.

Verum in hunc virum quinquagenarium quadrabant verba poëtae:

*Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.*

Statim dabat suas ordinationes, sive pro militibus, sive pro « expotitis », sive pro iis qui domi remanserant. Pergebat more solito respondere ad cuiuscumque subditi epistulas, et cito quidem, quoad id fieri poterat. Ad communicandas cum subditis notitias necessarias utilesve initio praesto erant folia privata *Nachrichten* inscripta: his vero suppressis (sicut foliis publicis *Der Volksmissionar*), mittebat inde ex 15.6.1941 suas litteras circulares *Rundbriefe* typis impressas, et cum tales queque ad milites mittere prohiberetur, multiplicabat eas machina scriptoria, aesi litterae privatae fuissent.

A. 1941 nazismus in sua superbia se satis fortem existimabat, non solum ad hostes externos debellandos et vincendos, sed etiam ad populum electum Veteris Testamenti quasi extirpandum et Novi Testamenti religionem sensim sine sensu funditus evertendam. Pro Provincia G. I. initium fit mense Martio in Magno Ducatu Luxemburgensi. Parvus iuvenatus Diekirch supprimitur et Congregati luxemburgenses vi in interiore Germaniam abducuntur «ad sensus vere germanicos addiscendos». Fer. V in Coena Domini supprimitur magna domus Bonn (Collegium Iosephinum seu iuvenatus iam ante annum vivere cessaverat), Maio Aachen, Iulio Geistingen, tum Bochum. Hospitium Colonicense sponte relinquitur, ne una cum violenta suppressione Superior Provinciae (sicut alibi acciderat) vetetur commorari in Rhenania aut in Westfalia. P. v. M. refugium invenit in suburbio *Mülheim*, in dextra Rheni ripa, in via Elisabeth Breuer, unde parum distat hodierna residentia in via Schleswig. A. 1942, mense Iulio, vi supprimitur etiam domus Glanerbrück seu Glanerbrug, intra Hollandiae fines sita.

Crescit numerus victimarum belli, quae exennte hoc a. 1942 iam ad tredecim perveniunt. Quid mirum, quod etiam huius viri fortis vires, utpote finitae, Maio 1943 subitaneum collapsum perpetiuntur? Verum post 5 menses P. v. M. denuo Coloniae est, laborans a mane ad vesperum. Proprii munera laboribus a. 1944 accedit visitatio omnium domorum certi Instituti feminei, ab Emo Cardinali Frings volita. Crescit semper cumulus, immo mons ruinarum immani bello aëreo effectarum Aquisgrani, Teviris, Bochumii, Coloniae... Tunc temporis Provincia amisit tria maxima et pulcherrima et frequentatissima sua templa in Trier, Aachen, Bochum; sed laeta spes affulget fore ut saltem Trevirensis ecclesia Sancto Ioseph dicta hoc anno «saeculari» (quippe fundatio incepit d. 15 Febr. 1851) denuo suo sublimi fini restituatur, modestius instaurata.

Ipse P. Provincialis in sua circulari 30.11.1946 inter alia dira haec narrat: «Die 15 Octobris in Mülheim tectum meae habitationis combustum est, d. 17 omnia vitrea fracta, d. 28 tota domus flammis eversa». Dein narrat tragicam mortem sui Consultoris, P. Rectoris Henr. Goldmann, qui Festo Omnim Sanctorum occubuerat victima belli aërei.

Haud longa mora, et ipse Provinciae adeo probatae Superior eandem sortem passus est. Vespare 6 Novembris, post funus tristissimum Patris Goldmann, in Geistingen se recepit. Ibi, usus suis facultatibus extraordinariis, pro casu suae mortis nominavit suum successorem Procuratorem Provinciae, hodiernum Provinciale Pl. R. P. Flesch.

Die 2 Mart. 1945 P. v. M. in nostra domuncula «Neusser Häuschen» commorabatur, prope hortum collegii Geistingen, cum miles inimicus volando descendit et globulo comminus misso Patrem intus stantem graviter

vulneravit. Hoc vulnus, quo arteria magna tacta est, post quadriduum mortem adduxit. Eam P. v. M. virili fortitudine, munitus omnibus sacramentis, e manu Dei accepit. « Omnia sustineo (inquit) in spiritu expiationis, pro mea familia quoque, pro Provincia, pro nostro populo ». Quo tempore corpus emortuum in nostro coemeterio, paucis adstantibus, terrae committebatur, circumquaque cadebant ex alto tela letifera, quae detonando huic funeri atrocem « musicam » funebrem addebat. Cum ipso defuncto Superiore quasi tota Provincia mori videbatur, adeo desperata apparebat rerum condicio. Hodie vero dicit grato animo cum Propheta: *Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti* (Thren. 3, 22).

Numquid alius Provincialis nostri Instituti expertus est novennium aequa difficile et atrox ac P. v. M.? Sed onus gravissimum digne portavit *sicut bonus miles Christi Iesu* (2 Tim. 2,3). Foliis Provinciae *Nachrichten* a. 1941 suppressis, ut dictum est, P. v. M. suis litteris circularibus mire argumentosis in subditis servare studebat bonum spiritum et regularem observantiam, atque de cunctis rebus ad nostram familiam spectantibus eos instruebat. Has 29 epistulas, quae pro hac periodo agitatissima sunt fons historicus primi ordinis et pro auctore « monumentum aere perennius », R. P. Henr. Tritz, Lector historiae ecclesiasticae in studentatu Geistingen, a. 1946 separato volumine collegit, una cum 7 epistulis primis novi Provincialis P. Flesch: *Rundbriefe für die Niederdeutsche Provinz der Redemptoristen 1941-1945*. Ultimam epistulam 30.1.1945 P. v. M. sic claudit: « Te, dilecte confrater (quasi omnes subditi tunc dispersi vivebant, ideo singularis numerus) commendo Deo et carae Deigenetrici. Utinam novo hoc anno sit nobis concessum, ut laeti nos iterum videre possimus. Fideliter tui memor, te ex toto corde salutat tuus P. v. Meurers ». Confratrem et praepositum tam amantem et amatum in hac terra videre amplius non possumus, sed speramus eum videre postea in sublimi gloriae solio. *Eece venio cito, et merces mea tecum est, reddere unicuique secundum opera sua* (Apoc. 21, 12).